

## **Theoremata medica de vestitu ... / [Johann Friedrich Schwartz].**

### **Contributors**

Schwartz, Johann Friedrich.  
Baier, Johann Jakob, 1677-1735  
Universität Altdorf

### **Publication/Creation**

[Altdorfii] : Literis Henrici Meyeri, [1704]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sdf54y57>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

THEOREMATA MEDICA

De

VESTITV,

PRÆSIDE

DN. JOH. JAC. BAIERO,

Philos. & Med. Doct. hujusque in alma  
Noricorum Vniversitate Prof. Publ.

&

Illustr. Reip. Noribergens. Physico,

DN. PRÆCEPTORE atq; PATRONO

*omni observantia cultu æstimando,*

*& prosequendo,*

in Ordine Circulari

*publicæ Commilitonum ventilationi*

*submittet*

ad d. April. A. C. MDCCIV.

JOHANNES FRIEDERICVS Schwartz /

Lubecensis.

---

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typographi.

32

O. D. B. N.

THEOPHILATA M...

Dr.

V E S T I T V

PA...

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

DR. JOH. JAC. BAIFFO

5



§. 1.

**Q**uæ Hippocrates (a), Galenus (b), & alii ex recentioribus (c), de Medicorum decenti vestitu & ornatu præceperunt, omnia fere laudabilem inculcant mediocritatem, & aureum istud: *Ne quid nimis.*

§. 2.

Hinc quamvis iterata S. Casaræ Majestatis & Imperii Rom. decreta legitime promotis Medicinæ Doctoribus eundem quem ipsis Nobilibus ornatum & vestium splendorem largissime concedant (d), prudentes tamen Medici hac libertate moderatius utuntur, quippe magis solliciti, ut accurata officii sui administratione quam sumtuosis vestibus, auro, gemmis, serico & purpura nitentibus autoritatem atque gratiam sibi concilient.

§. 3.

Propterea vitare solent in vestitu quoque περιεργίαν illam, sive curiositatem superfluam & luxum Viris sapientibus haud convenientem, ne scilicet arrogantia suspectos sese reddant, aut formæ magis quam hominum sanitati studere videantur.

§. 4.

Munditiei tamen & honestati in amictu, si quis alius, operam dare debet Medicus, ne nimio illius neglectu & sorditie

(a) Lib. de Medico, & de Elegantia. (b) de cognosc. & curand. animi morbis, cap. 9. it. In Hippocr. de iis, quæ in Medic. fiunt, Comment. I. num. 16. De præcognit. ad Posthum. cap. 1. & alibi. (c) Leonh. Botallus de Med. & ægr. munere, Joh. Sporisch. Idea Medic. p. 30. & 31. Roder. à Castro Med. Polit. Lib. III. cap. 4. F. anc. Bosillus Amalth. Med. histor. p. 677. sequ. &c. (d) Vid. Ludov. von Hörnick Polit. Med. pag. 2.

nauseam creet ægrotantibus, de persona vero & Arte sua iniquius sentiendi occasionem suppeditet. Imprimis *factorem caveat*, & contra illum rebus bene olentibus, suâsu ipsius Hippocratis (e) utatur; à moschatis vero, Zibethum item, Ambram, rosas, &c. nimium spirantibus chirothecis v. g. aliisque vestimentis ob sequiorem præcipue sexum, qui talia raro fert, absteat.

## §. 5.

Longe vero diligentius *de salubri vestitu* tam sibi ipsi quam commissis curæ suæ hominibus prospiciat: Siquidem à neglecta *amictûs* ratione plurima in humanum corpus mala redundare solent, ut contra *providus vestium selectus* & præcavere & imminuere potest morbos non paucos.

## §. 6.

Mirum est autem, quod in plerisque *Dieteticis Commentariis* & *Medicina syntagmatibus* nulla *vestium* fiat mentio: Cum tamen in confesso sit, humanum genus pro naturali indigentia sua (maxime in regionibus frigidis & borealibus) vix posse commodius carere *vestimentis* quam ipsismet alimentis; experientia insuper quotidiana doceat, non minora quandoque tum commoda tum incommoda imminere sanitati nostræ ab *amictu*, pro varia ejus condicione, quam ab ulla re alia.

## §. 7.

Nemo itaque vitio nobis vertat, si rebus non naturalibus vulgo dictis (quæ tanquam fontes sunt causarum procatarticarum valetudinis, quæ prosperæ quæ adversæ) *vestitum censeamus annumerandum*, ejusque rationem haud perfunctoriam à Medico prudenti habendam esse statuamus.

## §. 8.

Ut autem alias in *dieta* *providis natura ministris* non tam quæ voluptati & appetitui hominum satisfaciunt, quam quæ sani-

---

(e) l. c. de Medico.

sanitatem adjuvant commendata esse solent; ita etiam quoad vestes, illas tantum seligunt & probant, quæ corporis valetudini conducunt, posthabendo sæpius elegantiam, utpote magis in arbitraria mortalium imaginatione quam ipsa re fundatam.

§. 9.

Generalis hinc nota, & primus quasi character laudabilium vestimentorum, ex Medici judicio, erit *concinuitas*, exclusa amplitudine superflua, talem supponens amiciendi rationem, quæ corporis partes pro necessitate quidem tegat, sed nullam in motu decenti & officio naturali præstando impediat.

§. 10.

Jam vero satis apparet, quid sentiendum sit de recepto more illo virginum & muliercularum, quæ in eximiè coacta gracilitate nescio quam speciem pulchritudinis quærentes, à prima ætate *strictis thoracibus vestiri consueverunt*? Profecto sana ratio dicitur posse, & experientia confirmat (f) solere, ab ejusmodi *nimia pectoris constrictione* circulationem sanguinis & respirationem reddi difficiliorem, ad cordis vero palpitationem, dyspnœam, phthisin, aliosque morbos teneriora corpora disponi, alimentorum denique digestionem, dum & ipse simul ventriculus comprimitur, sufflaminari.

§. 11.

Neque multo melius sibi consulunt, qui *arctioribus calcamentis, tibialibus, ocreis, &c.* delectantur: Quandoquidem per angustatas hoc modo partium vias sanguinis transitus fit impeditior, spasmus & stupor membrorum aliquando excitari, pedum vero infirmitates & clavi frequenter hinc provenire solent: Ut certe, hæc de causa bonus quisque *arctiores*

(f) Vid. Thom. Erastus in Consil. Med. à Laur. Scholzio collect. N. 103. p. m. 278. & Sim. Pauli de Febr. malign. p. 104. & 105.

*corporis ligaturas, & in genere strictas nimium vestes, singulos artus (ut cum C. C. Tacito (g) loquar) exprimentes merito damnaverit.*

## §. 12.

Recens in his terris, sed optima est inventio *domesticæ illius vestitus, tunicarum* scil. *manicatarum*, quas cubiculares, vulgo *Schlas-Nöcke* nuncupant, quibus nescio an unquam aliquid commodius sit excogitatum, quo corpora nostra à collo usque ad calcem tam cito, tuto & jucunde possint involvi. Ausim affirmare quod valetudinariorum vitamque sedentariam agentium, præcipue literatorum in gratiam nulla hactenus recepta sit forma vestium præstantior, quæ aëris injurias magis arcere, corpus blande & citra noxiam compressionem tegere atque fovere apta nata sit.

## §. 13.

Quemadmodum autem jam dictæ *cubiculares tunicae* universo corpori valde sunt accommodæ, solo capite excepto, ita hujus in emolumentum non minus prudenter inventa sunt *galericula*, sive *adscititia capillamenta*, quæ nostrates hodie mutuato à Gallis vocabulo, *Perruquen* appellant. Hæc non solum quemvis proprii capillitii defectum sarciant, verum etiam verticem & occiput cum cervice suaviter operiunt, & ab inclementia ambientis aëris longe melius defendunt quam usitatorum capitis velamentorum aliud quicquam.

## §. 14.

Cæterum pro diversitate anni temporum vel sola necessitas *variationem amictus* imperat mortalibus, ut e.g. per æstatem simplicioribus & rarioribus, hyeme vero, & quando frigus urget, pluribus ac densioribus utantur vestibus. Hoc nisi caute fiat, quantis incommodis debilia mortalium corpora exponantur, in vulgus quoque notum est, neque nuper de-

mum

---

(g) de German. cap. XVII.

num aut nudius tertius observatum, quibus malis, doloribus, catarrhis, imo febribus, &c. affligantur refrigerata, propter defectum sive neglectum *commodi vestitus*, corpora. Æstate contra, qui nimium se fovere *vestibus* voluerit, non solum is sudoribus diffluet immodicis, verum etiam redituri per hyemem frigoris tanto erit impatientior. Hoc autem quisque verum experietur, quod Physica demonstratione Illustr. *Boylei* (b) & aliorum constat, quælibet albâ superficie gaudencia, consequenter etiam *vestes albas* aut ad albedinem proxime accedentes longe tardius à radiis solaribus incallescere, quam quæ nigri vel obscuri sunt coloris: Quapropter has magis hyeme, illas æstate magis convenire patet.

§. 15.

*Hippocratis* alicubi monitum est (i) ut hyeme *vestes munda*, per æstatem oleo infecta gestentur; quò, sine dubio, ad perspirationem corporis, eamque promovendam hyeme, moderandam æstate, respexit. Verum, ut taceam externum illum olei usum, & corpus unguendi consuetudinem, antiquis seculis maxime familiarem, hodie ubivis ferme (præsertim apud Germanos) exulare; optimis jam rationibus *Hippocrati* contradixit *Galenus* (k) spurcitiem imprimis tum inutilitatem oleo infectarum vestium ostendens.

§. 16.

Quod attinet ad *materiam vestium*, & quæ hujus ratione à Medico debeant præferri, generatim vix aliquid determinare hic licet. Equidem *Franc. Baco de Verulamio* (l) ad longævitatem procurandam, ejusque præcipuum (ut ipsi videtur) obstaculum, justo majorem scilicet pororum cutis laxitatem, & inde oriundam largiorem transpirationem evitandam, *laneas vestes* commendat præ *lineis*, immediate supra eutem

(b) Tract. de Coloribus. (i) Lib. de Salubri Vict. rat. (k) Comment. in dict. Lib. Hippocrat. (l) Histor. Vitæ & mortis p. m. 307.



cutem gestandas, hanc ob causam, quod *lanæ* naturalem aliquam possideant unctuositatem, laudatæ meatuum cutaneorum amplitudini quodammodo resistentem. Verum enim verò hoc argumentum, quod jam rejecta *Hippocratis* opinione potissimum nititur, nostro iudicio, ad *vestium laneorum* prærogativam parum faciet: Quamvis etiam, eodem *Verulamio* teste, l. c. *Hiberni* sylvestres, ubi ægrotare incipiunt, nihil prius faciant, quam ut *lintea* è stratis tollant, & *laneis pannis* se involvant, neque tamen hæc popularis consuetudo, sufficienti rationis & experientiæ consensu destituta, *vestimentorum laneorum* præ illis ex lino aliave materia confectis salubritatem & præstantiam edocebit.

## §. 17.

Hoc certum est, *lanam*, maxime ut nostris in regionibus provenire illa solet rigidior, compositaque ex hac *indumenta* si nudæ cuti applicentur constantius, molestos pruritus, asperitates & intertrigines excitare posse: Contra vero *linteamina*, tummodo rite sint confecta, jucundiori tactu cutem afficiunt, nec tam facile eandem lædunt quam *lanæ*. Ne quid dicam de munditie, quam *lintea* præ *laneis* quasi à natura insigniorem possident, eamque, dum per fuligines continuo prodeuntes è corpore nostro fœdantur, mediante lotura feliciter quam alia *vestimenta* recuperant.

## §. 18.

Ut porro de varia *vestimentorum materia*, *preparatione* & *usu*, diversimode ad sanitatem nostram se habentibus, speciatim nonnulla subjungam, placet obiter meminisse vulgaris illius traditionis, quod *indumenta casu è vellere ovis à lupo dilacerata composita* facile pediculos generent: cui tamen relationi, quod anilem fabulam nimis redoleat, in *Ephemer. German. A. N. C.* (m) merito denegatur fides, quam  
& nos

---

(m) Decur. III. Ann. I. p. 20.

& nos ipsi non possumus non denegare, præsertim cum hodie, ut aliorum viventium, ita & pediculorum æquivoca (olim firmiter asserta) generatio accuratis rerum naturalium scrutatoribus valde sit suspecta.

§. 19.

*Lintea & indusia croceata*, vel croco tineta, *Hibernos* quondam habuisse in usu, *Verulamius* (n) perhibet; quod licet ipse ad arcendam putrefactionem inductum credat, tamen utcumque ad vitæ longitudinem esse proficuum existimat, ideo quod crocus cutem & carnes egregie confortet, notabiliter adstringat, oleositatem insuper caloremque subtilem habeat sine ulla acrimonia. Hæc omnia si vel maxime concedantur, sano sensu, nemo tamen non videt, *Hibernorum* illam consuetudinem apud nos imitatu esse difficiliorem, cum & genius seculi & pretium croci non parum obstant.

§. 20.

Ad sudores chronicos & largiores cohibendos novimus quosdam suadere *indusia in aluminis & aliorum adstringentium solutionem intincta* iterumque siccata; quo pacto poros cutaneos posse constringi & sudorem quodammodo remorari verosimile quidem est, attamen nisi vel ante vel simul per idonea interna remedia immodico sudori obviam eatur & illius causæ obex ponatur, metuendum est, ne *indusiorum* dicto modo præparatorum, & quorumvis topicorum constringentium applicatio præpostera, frustranea, imo periculosa sit futura. Cæterum recte agunt illi, qui post sudores vel spontaneos vel arte provocatos *polluta hinc indusia*, deterso prius corpore, *cum recentibus & puris commutant*, ne jam expulsæ fuligines, super cutem rursus condensatæ, poros obstruendo perspirationem liberam ullo modo impendant.

B

§. 21. Opti-

(n) l. c. p. m. 296.

Optima est *Hieron. Mercurialis* (o) cautela, quam & passim observant prudentes Medici, ut nimirum tempore pestis non tantum crebrius mutantur & munda subinde adhibeantur indumenta, sed etiam ut capsis includantur, quibus varii flores, poma cotonea, citria, aurantia, & ejusmodi alia fragrantia, contagiosæ putredini contraria, simul contineantur. Anniadvertit præterea laudatus vir, tempore contagii coriacea & holoserica tenuia indumenta esse tutiora; lanea vero lineæ, gossipina & pellicea gestatu periculosiora, eò quod hæc pestiferos vapores facile recipiant & retineant. Prolixas etiam longasq; vestes damnat, & hinc suspicatur tot Medicos olim Venetiis peste extinctos fuisse, quod latissimis induti tunicis ægros viferent. Cæterum quam facile per indumenta communicentur morbi, non solum maligni & pestilentiales, verum & alii, v. g. scabies & lues venerea, cum sit notissimum, proluxius hic commemorare omittimus. Sufficit, quod prudens quisq; morbis ejusmodi infectorum vestimenta cane pejus & angue noverit vitare.

Elegans exemplum vestitus Medici præbet *Cucupha*, quæ pileoli aut mitra genus est, compositum ex speciebus cephalicis selectioribus, sindone aut lineo tenuiori exceptis, interdum & gossipio sustentatis, quæ postea decussatim consuuntur, seu, ut vulgo vocant, interpassantur. Sunt autem, pro varia intentione, variæ cucupharum compositiones, plerumque tamen eò directæ, ut spiritus animales in cerebro, nervis & sensuum organis recreentur, humores vitiosi in capite restagnantes mediantibus particulis salino-oleosis volatilibus corrigantur & discutiantur, partium vero continentium naturalis tonus roboretur, tandem si quæ adsunt obstructions inde tollantur: Propterea in capitis debilitate, doloribus, catarthis, vertigine, affectibus soporosis, &c. decantatæ sunt utili-

---

(o) Lib. de Peste cap. 22.

utilitatis, de qua pariter ac diversa ipsas *cucuphas* componendi ratione, vid. *Petr. Morellus* (p), *Joh. Schræderus* (q), *Joh. Conr. Barckhausen* (r), & instar omnium *Illustr. Wedelius* (s). §. 23.

Non inepte, forsan, huc referrem *epithemata* & *scuta*, ad varias tum externas partes tum internarum regiones, e. g. cordis, ventriculi, hepatis, in foro Medico solennia, nec non *Fibularum* diversam constitutionem & peculiare usus in Chirurgia: Quoniam vero quæ prioris sunt commatis ab *Autoribus rei Pharmaceuticæ* passim copiosissime explicantur, *fibularum* autem historiam, quæ civilem quæ Medicam, communi doctorum suffragio eximius Polyhistor *Joh. Rhodius* (t) jam dudum absolvit, plura de his addere hoc loco supervacuum duco. Sic etiam silentio prætereire malo, quæ arte Medica præparari, & *faciei, in modum larvæ, applicari solent linteamina*, (a Gallis *Masques* dicta) sine potissimum refrigerandi, ardorem & rubedinem discutiendi, cutem delicatam, mollem albamque efficiendi, & ab omni immunditie præservandi: Talia enim ad *Cosmeticam* spectant, & apud illius scriptores frequenter occurrunt: egregia tamen, si desideretur, hujusmodi *linteaminis ad faciem* compositio, quæ *Magnæ Poloniarum Regina* quondam in usu fuit, peti potest ex *Ephemer. German. A. N. C.* (u).

§. 24.

*Zona sive cinguli Mercurialis* meminisse hic fas est, cum omnino ad *rem vestiariam Medicam* pertineat. Conficitur autem ex *panno vel corio* ad latitudinem duorum circiter aut plurium digitorum transversorum, hinc mercurio crudo, per *axungiam* subacta, illinitur, & nudo corpori *in modum zonæ*

---

(p) de Formul. remed. præscrib. Lib. II. Sect. II. cap. 3. (q) Thesaur. Pharmac. Lib. II. cap. 78. (r) Synops. Pharmaceut. Lit. C. (s) Lib. de Compos. Medic. extemp. Sect. III. cap. 5. (t) in Dissertat. de Acia ad C. Celsi mentem. (u) Decur. I. Ann. VI. & VII. Append. p. 188.

circumducitur. Hæc quidem cingula non solum ad abigendos & enecandos pediculos, verum etiam scabiem sanandam efficacia sæpe deprehenduntur; sed cautela opus est, ne mercuriales particulæ, largius ad interiora corporis penetrantes, nimias commotiones atque turbas in humoribus, graviores ptyalismos, membrorum resolutiones, aliaque mala excitent, non sine ingenti vitæ periculo, quemadmodum id exempla & casus tragici apud *Guil. Fabric. Hildanum* (x) & in *Ephemer. German.* (y) loquuntur.

§. 25.

*Specificæ virtute* pluribus corporis affectibus mederi creduntur *variorum animalium pelles aut coria*, & ex illis parata indumenta, ut facile integrum de iisdem libellum ex observationibus & Commentariis Medicorum liceret conscribere, si artis id esset aut operæ pretium: Placet tamen ex amplissima farragine pauca quædam depromere. Ita *pellem Cygni*, à pellione decenter elaboratam, *pro pectoris operimento adhibitam*, peculiari modo asthmate, tussi, aliisque morbis pectoralibus affectis prodesse inter multos etiam perhibet *Guil. Fabricius Hildanus*, idque imprimis expertum se esse in conjugæ suæ sancte testatur (z). Eandem *Cygni* non minus ac *Vulturis pellem* abdomini impositam digestionis & concoctionis negotium singulariter juvare, sunt qui affirmant (1). Quod si jam experientiam laudatam ex sana ratione vellemus dijudicare, illa non parum suspecta redderetur: Sed fidem habemus Autoribus fide dignis, ita vero ut ejusmodi effectus non tam à *specificâ quâdam vi*, quam à *communè aliis pellibus aptitudine*, debilitatas corporis quas obtegunt partes blande fovendi, procedere arbitremur. Posita enim hac *fomentatione læsarum partium*, quomodo naturalis earum temperies & vi-

---

(x) Centur. V. observat. 93. (y) Decur. II. Ann. VI. p. 204. (z) Centur. VI. observat. 21. p. m. 691. (1) *Guil. van den Boesche Histor. Med. animal. Lib. I. cap. 8. & Fabr. Hild. l. c. p. ead.*

& vigor sensim restitui, motus humorum & secretiones ordinariæ promoveri, obstructions quoque tolli queant, obscurum adeo non est.

§. 26.

Manifestiori tamen ratione videtur operari *pellis ovina vel agnina, recens detracta, calensq; adhuc applicata.* Hanc non tantum verberatis quomodocunq; solamen egregium afferre Galenus (2) author est, sed etiam in generosa foemina vehementissimos dolores post partum, intra quatuor horas, cum admiratione adstantium abigisse observavit *Herm. Grube* (3). Scilicet particulæ subtiles, oleosæ, blandæ & lubricæ, adhuc in calore & motu constitutæ, quando ex detracta pelle in partes corporis, sive ab externa sive interna causa dolentes, sese per poros cutis insinuant, non possunt non extravasatum stagnantemve sanguinem & humores ad coagulationem tendentes resolvere, fibras contusas aut nimium distentas demulcere, & acrimoniam, si quæ forsan intervenit, obtundere.

§. 27.

Valde popularis nec minus antiqua est consuetudo, artus, brachia, manus, pedes, utcunque debilitatos, frigore, erysipelate, arthritide, paralyti aliisque malis vexatos, *pelliceis induendi ac fovendi vestibus*, pro re nata selectis & variis. Sic toto die membris à frigore læsis, à catarrho item vel aliunde dolentibus, manicæ, tibialia, calceamenta, &c. accommodantur è *pellibus leporinis, aliisque, molliores ac densiores pilos habentibus.* Sic *pelles vulpinas & catorum sylvestrium* induendas commendat *Rein. Solenander* (4) quando, ob debilitatem generis nervosi, pedes officium suum in ambulando difficulter peragunt. *Galenus*, citante *Gvil. Bossch.* (5), podagricis *calceamenta ex corio leonis* pro juvamine suadet: Quo etiam spe-

B 3

ctant

(2) de Simpl. Med. Facult. Lib. XI. (3) Tract. de Med. simpl. facult. cognosc. p. 10. (4) Sect. II. consil. 14. p. m. 161. (5) l. c. Lib. II, cap. 2.

Stant *inducta* interius vulpinis pellibus ocrea aut calcei, aliquibus usitati, ab ipso jam dudum (ni fallimur) *Sexto Empirico* laudati. Membra Paralytica, plurimorum Medicorum consensu, *castorina pelles* peculiariter solantur ac roborant. Verum ut de his aliisque *diversarum pellium* tantopere celebratis *virtutibus specificis* quid nobis videatur ingenuè aperiamus, multas esse fictas, paucas, si modo ullas, specificarum dignandas titulo, persuasum habemus. Etenim quas roborandis artibus mitigandisque doloribus particulas communicent, nemo facile determinabit aut nobis demonstrabit. Propterea quicquid præstant optati effectus, id maximam partem *mollitiæ ac densitati tum pilorum tum ipsius pellis*, unde partes læsæ suaviter afficiantur atque defendantur, tribuendum esse censemus. Quamvis illi, qui præ cæteris *pellis castorina* aliquid salis volatilis oleosi, cum eò, quod in ipso Castoreo copiosissimum deprehenditur, convenientis latitare affirmaverit, adeo pertinaciter non contradicamus. *Humani autem corii* gestationem & externam applicationem ad strumas, ganglia, contra epilepsiam, passionem hysterica, colicam, &c. utut à multis illa multum extollatur (6), superstitiosam & frustraneam esse credimus.

## §. 28.

Atque hic quidem *nostrorum, de Vestitu, Theorematum* esto terminus, qui hoc lubenter agnoscimus, non omnem illam materiam duobus hisce plagulis esse pertractatam: Nec etiam id constitutum nobis erat, sed ut specimine saltem aliquo ostenderemus, quod & quam diversimode *vestitus* à Medicis considerari debeat. Plura disquirant alii; ut neque nos abhorremus, si quando tempus & occasio ita tulerint,  
*Thema hoc* ulterius illustrare.

S. D. G.

EPI-

(6) Vid. Jac. Wolffii Scrutin. Amulet. Med.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ  
RESPONDENTIS.

I.

**E**Xperientia alienæ usus sæpe non minus fallit,  
quam Ratio destituta Experimentis.

II.

Nutritio non tantum solidis, verum & fluidis  
partibus competit.

III.

Non omne tenue, est tenuium partium.

IV.

Succum, ut quidam sibi concipiunt, nervosum  
minus demonstrabilem esse arbitror.

V.

Animæ rationalis essentiam ignorare, nec Phi-  
losophis, nec Medicis opprobrio est.

VI.

Temperamenta, ætas, sexus sæpissime falso cau-  
sis morborum annumerantur.

VII. Et si



VII.

*Etsi negaverim dari plethoram, sanguinem nihilominus quantitate sola interdum peccare posse existimo.*

VIII.

*Morbi contagiosi non omnes sunt maligni, & plures benigni sunt contagiosi.*

